ex libris
Mgr. A.-E. GOSSELIN

Illustrissime et Eminentissime Domine,

R. P. D. Epus Marianopolitanus, statim ut diei 25 novembris anni nuper elapsi litteras Tuas accepit, mihi de duobus opusculis, quæ sub pseudonomine *George St. Aimé* scripsi, Sacræ Inquisitionis monita significavit, quibus omnibus maxima cum reverentia me humiliter subjeci. Illam agendi rationem sequi eo mihi gratius fuit quo majus inde testimonium studii mei erga Sanctam Sedem et Sacras Congregationes, quæ illius auctoritate procedunt, perhiberem.

Eminentiam Tuam precor ut præsentis epistolæ attente perlegendæ Sibi onus imponat.

Ex litteris Tuis ad R. P. D. Epum Marianopolitanum missis, hæc duo mihi evaserunt perspicua: primo, meipsum summatim recensentem quæ in diœcesi Quebecensi circa quæstionem de christiana studiorum reformatione evenerant, nimiæ brevitatis causa, multa necessaria dictu omisisse, quia Sacram Congregationem adhuc plenam habere notitiam factorum ad illam quæstionem attinentium existimabam; secundo, informationes a veritate omnino alienas ad supradictam Congregationem transmissas fuisse ab illis qui doctrinam a me propugnatam impugnaverant.

In culpa sum, si tantummodo attendat Eminentia Tua falsis allegationibus adversariorum qui mihi exprobrant dicentes memet acta Sanctæ Sedis et auctoritatis diœcesanæ acriter irreverenterque impugnasse; controversiam relative ad studiorum reformationem de capitibus a Sancta Sede definitis movisse et hinc graves peperisse dissensiones; denique, prohibitiones R. P. D. archpi Quebecensis de supradicta quæstione nullius momenti perpendisse, et usque eo procedisse ut censuras ab eodem illatas publice aspernarer.

Sinat Eminentia Tua me Te aliosque Emos Cardinales Inquisitores de vero rerum statu monere. Mihi operæ pretium est omnia diligentissime elucidare, quoniam non tam agitur de reputatione mea quam de vita vel de morte in Canada reformationis quam Roma, ore Pontificis, magni esse momenti existimat. Quapropter accuratissima diligentia Tibi narrabo omnia quæ tum a me tum ab aliis in controversia de prædicta reformatione gesta sunt. Nec Te gravem, quam maxime brevis erim

Anno 1864, tota in ecclesiastica provincia Quebecensi, seminaria collegiaque universa, excepto tamen seminario Sti Hyacinthi, auctoribus ethnicis ab omni labe minime purgatis utebantur, et insuper religiosa disciplina adeo carebant ut plerique juvenes in ipsis edocti, statim ut in scenam mundi prodibant, de fide et moribus gravissimum paterentur detrimentum. Hinc innumera scatebant mala. Viri in politicis versati, inconscii plerumque, leges legibus atque juribus Ecclesiæ omnino repugnantes conficiebant, et, proh dolor! plerique sacerdotes, imoque episcopi, nihil reprehensione dignum in hoc reperiebant; illud evenit ex eo quod nugis enutriti et falsis opinionibus in scholis imbuti, copia posthæc seipsos reformandi deficiente, errorem a veritate sæpissime discernere non poterant. Hi viri politici, quamvis bona fide seipsos vere catholicos dicerent, nihilominus principiis catholicis multis in casibus longe aberant, et adhuc idem fit hodie. Ex omnibus episcopis provinciæ Quebecensis, soli RR. PP. DD. Bourget, episcopus Marianopolitanus, et Laroque, episcopus Sti Hyacinthi, durissima reipublicæ tempora intelligebant et ingemiscebant.

His in circumstantiis, doctrina simpliciter exposita, consilium dedi ut perficeretur quod in Encyclica *Inter multiplices* diei 21 martii anni 1853 sancitum fuerat, et in Concilio Ambianensi ejusdem anni evolutum et enucleatum, id est, systemati usque nunc in scholis vigenti adhiberetur temperamentum quod in eo consisteret ut in eis scripta SS. Patrum auctorumque christianorum clarissimorum haberent partem, et quidem optimam. Quoad libros ab antiquis ethnicis scriptos, in scholis studendos esse contendebam, sed ea conditione quæ legitur in præfata encyclica, nempe ut *ab omni labe purgarentur*

Hæc sunt, Eminentissime Domine, quæ semper opusculis meis tradidi et propugnavi, et nihil aliud in eis reperies nisi confutationem opinionis eorum qui studiis pure paganis favebant. Infeliciter, quam mei dissimilis Romæ exhibitus sum!

Exarsit in propositionem meam, anonymo in opusculo evolutam, quorumdam malevolentia, sacerdotum præsertim seminarii Quebecensis et aliquorum hujus Institutionis amicorum, ad summum triginta vel quadraginta. Paucissimi erant numero, sed auctoritate usurpata valentes, ita ut quæstionem suffocare tentaverint. Tunc temporis, professor eram in Seminario Quebecensi, unde fit ut omnia, quæ ad illos spectant, perfecte cognoscam. R. P. D. archiepiscopum Baillargeon adversarii mei circumvenerunt, illi suadentes christianæ studiorum reformationis patronos ipsius simul ac Ecclesiæ auctoritati infensissimos esse.

Qui inter sacerdotes Seminarii Quebecensis de præfata reformatione doctrinam meam sequebantur omnes ex hac Institutione expulsi sunt, et duo priores maxima cum ignominia. Quamvis, præter illam doctrinam, quæ ipsis vitio vertebatur, omni reprehensione carerent, præsertim cum nunquam, ne concordiam labefactarent, suis cum collegis controversias movissent, attamen pœna digni habiti sunt. Inter querimoniæ causas contra primum sacerdotem e Seminario Quebecensi expulsum allegatas, præcipua ea fuit quod junioribus alumnis suis hæc dixerit : « Si recte de vera magnitudine judicare voluerimus, viris « illustribus inter antiquos ethnicos ut exemplaribus vel typis animum intendere non debemus, sed « Salvatori nostro Jesu Christo et sanctis qui eum secuti sunt ; quorum vestigiis magis inhæret aliquis, « major evadit, et magis ab illis recedit, fit minor. » Hæc est vera et unica ratio cur presbyter ille, Desideratus Vezina nomine, e Seminario Quebecensi ejectus sit, et tanquam turbator, caput ebulliens et litium sator æstimatus sit. Hac quam profitebatur doctrina systema vigens in scholis, ac proinde auctoritatem ecclesiasticam, oppugnari decantaverunt adversarii. Inde iræ. Alii qui Seminario Quebecensi coacti abierunt, pro simili causa et præterea quia R. P. D. episcopi Dupanloup et D. de Montalembert liberalismum non mirabantur, istam experti sunt fortunam.

Sic agere non satis habuerunt adversarii nostri, sed etiam in ephemeridibus scripserunt R. D. Gaume illiusque sequaces fanaticos esse ac insanos, et ad id devenere ut, postquam nos tanquam in auctoritatem contumaces, in Ecclesiam injuriosos et illius ruinam molientes publice denuntiassent, obtinuerunt ut ephemeridibus prohiberetur quominus aliquid his allegatis contrarium publicarent.

Cum ita res sese haberent, studio consulendi tum publicæ rei commodis, tum commodis causæ quam Pius Papa IX sanctam nuncupat, opusculum cui titulus *La Méthode chrétienne d'enseignement*, sub pseudonomine *George St. Aimé*, scripsi ea mente ut christianam studiorum reformationem, in medio allatam et acriter cum mala fide criminatam, iterum et fusius exponerem. Graves ad effugendas persecutiones, sub pseudonomine occultissimeque hoc texui opusculum, cujus editio felices habuit exitus, quoniam clerici pene universi, omnes episcopi, unum si excipias R.P.D. archiepiscopum Quebecensem a presbyteris seminarii sui deceptum, doctrinam in eo evolutam amplexi sunt, quod vel in Europa magnifice laudatum fuit, imprimis in *Annalibus philosophicis* quos edit D. Bonnetty. Alia duo opuscula mea, sub eodem pseudonomine George St. Aimé scripta, parem obtinuerunt honorem.

Sciat Eminentia Tua sacerdotem Elzearum Alexandrum Taschereau, hodie archiepiscopum Quebecensem, collegarum suorum Seminarii Quebecensis agendi rationi tunc non adversatum fuisse, sed eam approbasse, et virum illum, quomodo menti ejus sese primo obtulerit opinio, ita eam semper esse tuiturum. Si, verbi gratia, eum de disciplina scholarum interroges, disciplinæ omnino christianæ sese favere libentissime respondebit, sed, cum id asserit, R. D. Gaume et ejus probatorum doctrinam, ut R. P. D. Filippi Emique Cardinalis Avanzo, approbare non intendit.

Edito opusculo, cui titulus *La Méthode chrétienne*, excogitaverunt qui christianæ studiorum reformationi adversabantur Romam adire, quia tunc unus ex illis, D. Chandonnet presbyter, ex omnibus Americæ septentrionalis diœcesibus hodie rejectus ac imo suspensus, ibi degebat laborem impendens ad consequendos in theologiæ et juris canonici Facultatibus gradus quos revera consecutus est. Eo tempore, complicem habuit in machinationibus, quas orsus est, R. D. Benjaminum Paquet presbyterum, qui tunc Quebeci degebat et nunc Romæ degit addictissimus R. P. D. Persico, episcopo Bolinano *in partibus infidelium*, quem fallens ad suas paganas liberalesque opiniones pedetentim traxit induendas, saltem in eo quod ad res nostras canadenses attinet. Callidas per fraudes, quæ omnes Eminentiæ Tuæ patebunt, si velit Ipsi transmissa perlegere opuscula, quæ a R. P. D. archiepiscopo Baillargeon ob id solum damnata sunt quod fraudes istas revelarent, patroni christianæ studiorum reformationis apud Romam denuntiati sunt quasi postularent ut ex scholis antiqui libri ab ethnicis conscripti et ab omni labe purgati omnino excluderentur, et quasi archiepiscopi et Sanctæ Sedis auctoritatem læderent.

Cum nihil hujusmodi in præfato opusculo invenisset qui illud perlustrasset, caverant adversarii ne illud Sanctæ Inquisitioni, apud quam autumnali tempore anni 1866 deferebant querelam, ostenderent. Quorum in litteris, quas includit alterum de duobus opusculis quæ Eminentiæ Tuæ hic et nunc transmitto, hæc omnia et alia enarrantur. Quinque propositiones, quas præfato opusculo prætenserunt extractas fuisse, sed realiter omnino diversas ab illis quas defenderamus, Sacræ Congregationis examini subjecerunt.

Faustum machinationibus suis exitum certo præstandi causa, R. P. D. archiepiscopo Baillargeon, uti litteris suis fatentur, consilium dederunt ut ipse Sacram Congregationem de re certiorem faceret; quinque propositiones illi transmitteret asserens eas esse quas sustinebamus; et adderet denique nos illa agendi ratione graves dissensiones inter suæ diœcesis presbyteros parere. A viris quibus fidem habebat deceptus, præsertim ab eo qui sedem archiepiscopalem ejus loco hodie occupat, R. P. D. Baillargeon præstito consilio obtemperavit.

Omnia contra me et alios ejusdem sententiæ prolata, ut jam ipse dixi, falsa erant. Nunquam etenim thesim incriminatam sustinueramus; nulla insuper contoversia, nulla disputatio de capitibus a Sancta Sede definitis mota fuerat, cum tantum ad exponendas rationes quæ Pontificis sapientissimam decisionem adjuvabant et elucidabant toti essemus dediti; denique, memoratæ dissensiones nullo nodo existebant. Aliqui tantum ut voluntatum consensionem frangerent sese agitabant, et isti iidem sunt qui, hodierna die doctrinas liberales inter nos prædicantes, omnia perturbant, quique mentientes, dolos et persecutiones nectentes, R. P. D. archiepiscopum Taschereau, paratum cæteroquin ad aures ipsis præbendas, decipiunt.

Ex factis expositis et a vero fraudulenter detorsis, Emus Secretarius Sacræ Inquisitionis, Cadinalis Patrizi, responsum dedit in memoriam revocans quod declaratum fuit in epistola encyclica diei 21 martii anni 1853, et, ob jurgia ab adversariis somniata, canadensem severe reprehendens clerum qui attonitus magnum concepit dolorem, quia Romæ multisque aliis locis ipsius prorsus dissimilis habebatur. Quod responsum una cum suorum commentariis suasorum declarationibus præfatæ encyclicæ repugnantibus R. P. D. archiepiscopus pervulgavit. Quæ quidem commentaria debita cum reverentia refutare mihi tum magnopere interesse visum est, quod in altero opusculo, sub eodem pseudonomine George St Aimé exarato, perfeci, clarissime demonstrans nos nihil aliud quam doctrinam a Cardinali Patrizi memoratam docuisse et pervulgavisse. Sacram addidi Inquisitionem fuisse deceptam, sed archiepiscopum nullo modo criminatus sum.

Uno circiter anno elapso postquam hæc evenerunt, statim ut a Roma rediit R. D. Chandonnet, Quebeci philosophicos instituit discursus, quibus iterum christianam studiorum reformationem et opuscula quæ eam commendabant acerrime insectatus est. Hujusmodi aggressiones ad labefactandam thesim a Pio Papa IX aperte valideque probatam tendentes elidendi onus suscepi, et, ut id consequerer, litteras a R. D. Chandonnet ad ejus amicum R. D. Benj Paquet directas, quæ forte in manus meas inciderant et in quibus omnes enarrabantur machinationes ut a Sancta Sede damnarer adhibitæ, in alio tertio opusculo, adjunctis commentariis, interprosui et evulgavi.

Quo quidem edito, mirum in modum commoti sunt animi qui christianæ thesi nostræ et proinde regulis a Pio IX datis addictissimi facti sunt. Ad doli sui probationes ac etiam vestigia destruendum, RR. DD. Chandonnet et Paquet incredibili conatu apud R. P. D. archiepiscopum usi sunt, illum inducentes ad duo posteriora opuscula mea extraordinariam per viam de medio tollenda. Omni ope contenderunt ut huic suaderint prædicta opuscula ipsi injuriosa esse, propterea quod illum deceptum fuisse probabam. Illos adjuvabat R. D. Taschereau, eo tempore Seminarii Quebecensis superior vicariusque generalis dioecesis, et ipse composuit pastorales litteras diei 12 augusti anni 1868 quas promulgavit R. P. D. archiepiscopus Baillargeon.

Pastorales illæ litteræ, uti aliunde Eminentiæ Tuæ eas perlegenti constabit, sub pœna suspensionis, *ipso facto* incurrenda, pro clericis, et excommunicationis *ferendæ sententiæ*, pro laicis, præscribebant ut in intervallo trium dierum prædicta opuscula comburerentur, et insuper eisdem sub pœnis ne quis aliquid in posterum de christiana studiorum reformatione auderet scribere vel etiam perlegere, licet in diœcesi vel in regione alinea editum, vetabant, unde factum est ut ex illo tempore semper in diœcesi Quebecensi fuerit vetitum et hodierna die, sub gravissimis pœnis, R. D. Gaume, R. P. D. archiepiscopi Filippi, Emi Cardinalis Avanzo, multorumque aliorum clarissimorum scripta de hac quæstione perlegere, adhuc vetetur

Mihi vero, quem nesciebant adversarii opusculorum damnatorum auctorum esse, sed quem quatenus talem ecclesiasticas per pœnas quæritabant, ut codices meos autographos, comburerem, dicta publice retractarem, ac præterea ut in intervallo unius mensis et sub pœna suspensionis RR. DD. Paquet et Chandonnet famam repararem, jussum est.

Cum graviter nocenti, sed ignoto, seipsum manifestandi non legitime imponitur obligatio, nullam earum præscriptionum adimplevi et tamen ecclesiactica obiens munera perseveravi, propterea quod aliter faciens me detexissem. Cæterum nullius culpæ conscius eram, ac proinde in foro conscientiæ immunem a censura me judicabam.

Antequam opuscula mea in lucem edidissem, amici, a quibus consilium petieram, me doctrinam Sanctæ Sedis commandantem et cum debita reverentia hanc doctrinam lædentes confutantem optimum opus perfecisse declaverant. Ne propriis fretus sensibus hac in causa tam gravi a via recta discederem, censuris in me ignotum sub nomine George St. Aimé a R.P.D. archiepiscopo Baillargeon fulminatis, gravissimos viros tam in America quam in Europa, præsertim R. D. Gaume et R.P.D. episcopum Filippi, de recta agendi ratione his in peculiaribus circumstantiis consului, et omnes, opusculis meis diligenter perlustratis, unanimiter dixerunt : « In te latæ censuræ non injustæ sunt modo, sed nullius « roboris, quia quod bonum est probatumque à Pontifice R.P.D. archiepiscopus Quebecensis ut peccami- « nosum damnat. In foro conscientiæ, censuræ istæ sunt *sagittæ parvulorum* quæ minime lædunt ; « ideoque ne cesses ecclesiasticas obire functiones ; alioquin, te persequentium in manus incides. Cætera « vero quæ præscribunt pastorales litteræ exterius observa, expectans donec malo remedium afferat Roma « quæ indubitanter archiepiscopo injunget ut infaustissimas istas pastorales litteras de medio tollat. »

Omnia hæc fideliter servavi, et continuo, quanquam occulte, querelam meam per R.P.D. Episcopum Filippi ad Sacram Inquisitionem direxi, exspectans ut illa Congregatio verbis meis secundas aures præberet, et hæc est ratio cur nihil omnino de christiana studiorum reformatione scripserim, quæcumque in George St. Aimé et ipsius opuscula fuerint convicia. Octo per annos semper in vanum exspectavi ut mihi responderet Sacra Inquisitio. Emus Cardinalis Barnabo, hoc in tempore præfectus S. Congregationis de Prop. Fide, pastorales litteras R.P.D. archiepiscopi Baillargeon, coram presbyteris et episcopis canadensibus, severe redarguit, quod tantum audivi per longum intervallum usque ad tempus quo Eminentia Tua ad R.P D. episcopum Marianopolitanum litteras suas dici 25 novembris anni 1876, scripsit.

Quatuor per annos, id est a 1868 usque ad 1872, tempus quo a diœcesi Quebecensi in diœcesim Marianopolitanam propter persecutiones in me sævientes demigravi, liberalismo atque gallicanismo tunc prævalentibus, omnia probra in George St. Aimé jactata sustinui tacens, ita pastorales litteras R.P.D. Baillargeon reverendi voluntas apud me manebat !

Statim ut diœcesi Marianopolitanæ addictus fui, Quebecenses ephemerides aucta cum acerbitate memorderunt me, propterea quod Marianopolitana in ecclesia cathedrali concionem habens dixeram « veritates catholicas super tecta prædicari oportere et pro eis defendendis omnia tolerari. » Jam tunc enim meipsum esse George St. Aimé suspicabantur ac quatenus talem me persequebantur. Illo de auctore omittens disserere, satis esse credidi opusculorum doctrinam paucissimis verbis patrocinari.

In ephemeride cui titulus *Le Franc-Parleur*, sub pseudonomine *Luigi*, usque ad hodiernam diem articulos scripsi ac edidi diversos confutans errores, inter quos emicant naturalismus et liberalimus, atque præsertim allegationes quodam in impiisimo libro insertas, cujus auctor, D. Dessaulles laicus, Papam, Episcopos, presbyteros, necnon sacras romanas Congregationes, nominatim Sacram Inquisitionem, conviciis insectabatur.

Duo circiter anni sunt ex quo novum ac mere præceptivum opusculum de christiana studiorum reformatione elaboravi ac edidi, ad hoc inductus Brevi recenti ad R. D. Gaume misso, in quo Pius Papa IX eis qui hanc quæstionem tractant gratulabatur. Unde factum est ut fere omnia nostra seminaria et collegia Pontificis præscriptiones sequi statuerint.

Denique, duobus abhinc annis, qui inter nos se dicunt catholico-liberales audacter caput extulerunt et cœlum terramque miscuerunt ut nefandos suos errores quocunque diffuderent et omnes ad suam agendi rationem imitandam adducerent. Quum eis protestantes et iniquissimæ Massonum sectæ faverent, et R. P. D. archpus Taschereau, insidiis captus, de vero gravique rerum statu non recte judicaret, ut magno perfungerer officio, obsequens hortationibus Pii IX qui vult viros sana doctrina præstantes opportuna scripta in lucem edere, quibus et populorum mentes illustrari et serpentium errorum tenebras dissipare contendant, in liberalismum qui dicitur catholicus multis scriptis strenue pugnavi et pericula pestis liberalis patefeci, unde factum fuit in me clamores validi personuerint et multi me odio habuerint.

Æstate nuper elapsa, mense julio, quodam parocho diœcesis Quebecensis ut prædicarem me rogante, de constitutione et auctoritate sanctæ Ecclesiæ romanæ sermonem habui, et insuper demonstravi eam, quotiescumque de bono spiritali animarum agitur, jure proprio ferre leges quæ stricte obligant, et gubernia ipsa his legibus teneri.

Hoc arripuerunt adversarii in occasionem ut in ephemeridibus Quebecensibus, odio causarum quas propugnaveram, contumeliis me afficerent. Ut scriptorum meorum in liberalismum et doctrinæ sermonis mei auctoritatem minuerent, me esse George St Aimé, ac proinde nullam fidem scriptis verbisque meis adhibendam esse dixerunt. George St Aimé ab omni culpa vacuum fuisse firmis argumentis probare volens, res singulas quæ ad eum spectabant enarravi, unde fortasse in causa fui cur me esse auctorem illum potuerint intelligere, cum jam tunc graves in me caderent suspiciones. Porro, cum, una parte, magnam iracundiæ tempestatem mihi impendere viderem, ac, altera parte, cum malos exitus qui inde foro externo nasci poterant cohibere cuperem, mense julio anni nuper elapsi, ad Emum Cardinalem Patrizi litteras scripsi, eum precans ut mihi indicaret an aliquid, relative ad opuscula Georgii St Aimé et relative ad censuras in eum latas, decrevisset Sacra Inquisitio.

Quando George St Aimé culpa liberavi, R. P. D. archiepiscopus Taschereau, qui ephemerides sub juridictione sua constitutas, dum solæ loquebantur, omnia contra me attentare siverat, per observationes ad quamdam ephemeridem spectantes, quæ causam meam tuebatur, rei intervenit dicens me mentiri relative ad factum cujus ex viris auctoritate gravibus existentiam affirmaveram. Istis observationibus ut responderem, rationes atque auctoritates quibus ad affirmandum nixus eram simpliciter ante oculos posui.

Ne plus dicam, nihil scripsi, nihil egi ex quo articulos et opuscula conficio, nisi ut Sanctæ Sedis doctrinas propagarem. Hanc studiose secutus sum regulam ab Emo Card. Patrizi nobis traditam in ipsius litteris diei 15 februarii anni 1867 : « In catholica tuenda veritate et in sanctæ Ecclesiæ juribus, quæ adeo divexatur, propugnandis, omnem operam et industriam debent impendere viri ecclasistici.»

Inter præsentem annum, cum Pii IX Brevia liberalismum catholicum damnantia in memoriam revocarem, qui hunc fovent errorem rursum et acriter in ephemeridibus Quebecensibus meipsum impugnaverunt, prætendentes agendi rationem meam dissensiones provocare, et eodem sese gesserunt modo cum novissima Pontificis Brevia de christiana studiorum reformatione pervulgavi.

Ad amussim exequendum quod de studiis Sancta Sedes præscripserat, nihil perutilius mihi visum est quam iterum atque iterum illud oculis subjicere ; præterea, meipsum scribendi facultatem habere in Canada, perinde ac in Europa scribunt R. D. Gaume, R. P. D. archiepiscopus Filippi et alii permulti semper existimavi ; denique, pro certo semper habui meipsum, non modo Sanctæ Sedis acta non impetere, sed e contrario ea totis viribus commendare.

At nunc, quoniam Sacra Inquisitio me erravisse declarat et prohibet quin de christiana studiorum reformatione amplius scribam, sileant omnia argumenta ; erravisse me fateor et toto corde me submitto. Id unum desiderio desideravi : bonum promovere ; at cum Roma tam sapiens et tam magnam habens auctoritatem loquitur, nihil aliud mihi est quam cum gaudio non pergere quo cœpi, siquidem mala nocivaque opera mea judicat. Rebus ita sese habentibus, gratias ago Deo qui me vult humiliatum, et certissime scio humiliationem meam melius causæ sanctæ nostræ inservire quam optima scripta mea.

Quinque, ad summum septem, in Canada, catholici eramus scriptores qui contra densam cohortem nefandos errores prædicantium pugnabamus, et quotannis propter persecutiones numero defecimus. Meipso ac quibusdam aliis tacentibus, Deus ostendere vult quod ipsi nobis non opus sit ut causam sanctam suam tueatur.

Omnia quæ mihi R.P.D. episcopus Marianopolitanus injunxit, haec libenter exsecutus sum. Prædictus episcopus, ex facultate sibi concessa, a censura me absolvit ac incursa irregularitate dispensavit.

Ex litteris cujusdam Emi Cardinalis, intelligens R.P.D. archiepiscopus Quebecensis me congruam pro agendi ratione mea daturum esse satisfactionem, rei sese ultro immiscuit et ad R.P.D. episcopum Marianopolitanum epistolas scripsit dicens quod vellet meipsum a censura non absolvi et super irregularitate non dispensari, nisi sub ea conditione ut condemnationem meam per ephemerides publice manifestarem. Ad pacem habendam, hanc gravem et durissimam conditionem adimplevi, unde fit ut famæ

maximum patiar detrimentum. Cum vero cecidit omnis auctoritas mea, operam frustra consumerem si grassantes in errores contendens adhuc pergerem. Super condemnatione mea valde gaudent impii et protestantes ; alii intelligere non possunt qui fit ut Sacra Inquisitio severe in Canada reprehendat quo in Europa laudat et approbat Papa.

Duo opuscula mea criminata una cum R.P.D. archpi Baillargeon pastoralibus litteris quæ illa damnant Eminentiæ Tuæ mitto, Eam supplex deprecans ut singula documenta attente perpendat aut ea jubeat perpendi. Tibi præterea mitto articulum quem in ephemeride *Le Franc-Parleur* scripsi ut publica fieret condemnatio mea, ex mandatis R. P. D. archiepiscopi Taschereau, et libellum cui titulus *La Méthode chrétienne.*

Si possibile est ut in me scriptaque mea lata sententia emendetur, oro et obtestor per viscera D N. Jesu Christi, per sanctas causas quibus in hac regione nomen meum fuit adscriptum, ut sententia illa quamprimum retormetur et reformata mihi significatur. Innumeri alii idem postulant.

Manus Eminentiæ Tuæ reverentissime deosculor et quæque Ei fausta precor a Deo

Eminentiæ Tuæ

Servus humillimus.

rem si
npii et
t quo

a dam-
aut ea
publica
La Mé-

a D N.
ntia illa